



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput XXV. De Septimo Decretalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

cantur, & sententia contra illas lata, est nulla, utpote contra jus notum. *Rom. Consil. 260. num. 2. Tusch. lit. E. Concl. 679. n. 4.* Sunt enim notoriæ Extravagantes, & post publicationem satis evulgatæ per librorum impressionem, ita ut præsumi de illis ignorantia non possit, cum ergo idem sit esse notorium, & esse in iudicio productum. *Alexand. in l. Cum prolatis n. 19. ff. de re judic.* Sententia contra Extravagantem notoriam lata omnino nulla est iudicanda. *Franc. de Pavinis in præl. ad Extrav. Joannis XXII.*

C A P U T X X V.

De Septimo Decretalium.

Quis librum hunc collegerit. Cujus sit auctoritatis. De alia Compilatione Libri septimi Decretalium cura Gregorii XIII. facta, sed hæcenus suppressa.

I.

U^Ltimis hisce temporibus annexus est Corpori Juris Canonici in recentioribus exemplaribus liber septimus Decretalium collectarum à Petro Matthæo Jurisconsulto Lugdunensi, & ad normam Decretalium in quinque libros suosque titulos digestarum. Hic liber cum pri-

B b

vata

vata solum industria sit collectus & editus, nec ullam habeat approbationem Summi Pontificis Canonicus censer non potest. Licet enim varias contineat Constitutiones Pontificias; attamen cum non constet de promulgatione earum, nec an receptæ sint, aut cum suis Originalibus in omnibus conveniant, vim obligandi non habent, nisi in forma authentica producantur. *Franc. de Pavinis in Prelud. an Extrav. fo. XXII.*

2. Ad compilandum autem Librum septimum Decretalium authenticum adjecit animum & curam Gregorius XIII. eamque operam commisit Flavio Ursino, Franc. Alciato & Antonio Carafæ Cardinalibus. Hoc vero Pontifice defuncto Sixtus V. ejus Successor hoc opus perficiendum commisit Pinello Aldobrandino, Matthæo Columnæ è numero quoque Purpuratorum, è quibus Aldobrandinus post obitum Sixti in thronum sublatus perfectioni ejusdem operis institit, cumque dubium incideret, an inferendi quoque essent Canones Conciliorum Florentini & Tridentini ad dogmata spectantes, judicaverunt eos compilationi isti inferendos esse, sicque Volumén istud diversorum Pontificum Constitutiones & Concilio-
rum

rum decreta trecentorum prope annorum in quinque libros disposita, suisque distincta titulis complectens die 25. Julii anno 1598. perfectum est. Verum cum typis jam excusum sub nomine septimi libri Decretalium Clementis VIII. vulgandum esset, movetur quæstio, an à Juris peritis edi possint glossæ & commentarii super Decretis Concilii Trid. huic libro insertis, non secus ac super aliis compilationibus factum videmus. Quod cum sub gravissimis censuris inhibuisset Pius IV, suppressa est publicatio hujus Voluminis tantis laboribus elucubratu tantisque Jurisconsultorum votis expetiti. *Fagn. in c. Cum venissent de Jud. n. 61. & 63.*

F I N I S.

Ad DEI DEIparæque Gloriam
& honorem.

